

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Cursus studiorum monasticorum, sive series sublimium disciplinarium - Cod. Ettenheim-Münster 99-110**

Logica s. ars cogitandi - Ettenheim-Münste 101 - Philosophia eclecticica

**Cartier, Gallus**

**[S.l.], [18. Jahrh.]**

[Caput] quartus

[urn:nbn:de:bsz:31-110938](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-110938)

S. Quartus.

De Definitione et Divisione  
principis Enumeratiōnis speciebus

Ex omnibus Enumeratiōnis specie-  
bus, quas Logica considerat, nulla ad com-  
parandas ceteras disciplinas majoris sunt usus  
et utilitatis, quam Definitio et Divisio.  
Unde et eas, pro ratione instituti nostri  
huc expendere animus est; atque primo  
de Definitione dicendum.

Definitio igitur generatim spectata  
est Oratio, quae quod in re vel nomine  
obscurum est, explicat. Unde alia est  
Definitio rei, alia nominis.

Definitio nominis est ea, quae de-  
terminat aliquis, quid per nomen ali-  
quod intelligat: ut si quis e.g. dicat, ani-  
mam appello id, quod in nobis est cogita-  
tionis principium, parum sollicitus,  
quo nomine alii eam vocent.

Ex quo habetur 1.<sup>o</sup> Definitiones  
nominum ab arbitrio Definientis pen-  
dere: cum enim quaelibet vox ex se  
et ex sua natura sit indifferens ad ali-  
quid quodcumque significandum, cui-  
que licitum erit, in proprium suum  
usum, vocem aliquam ad hanc prae-  
se rem significandam determinare,  
modo prius alios hac de commone faciat.

Habetur 2.<sup>o</sup> item circa nomi-  
nis Definitionem moveri non debe-  
re, sed extra omnem controversiam  
eam esse positam; ut pote quo arbi-  
traria sit: unde et principii locū a  
Mathematicis ponitur, ut et ab is om-  
nibus, qui demonstrationum curam  
habent. Nam saepius vana conten-

149.

145.

\* Vulgares Philosophi sub  
titulo Mobi Sciendi de  
Definitione, Divisione et Ar-  
gumentatione solent agere,  
ut quas communiter tres Mo-  
di Sciendi esse dicant.  
Modum autem sciendi Defini-  
unt Orationem ignoti ma-  
nifestativam. Hujusmodi  
autem Orationes ignoti mani-  
festativas esse Definitionem,  
Divisionem et Argumenta-  
tionem: Nam, inquirunt, tot  
sunt modi sciendi, quot sunt  
in re aliqua ignota, quae ma-  
nifestari indigent: Sed haec  
sunt tria: nam vel ignotum  
est quid res sit; vel quotie-  
plex sit, seu quos habeat par-  
tes; et denique qualis sit, sive  
quas habeat proprietates: pri-  
mum autem explicatur per  
Definitionem; secundum per  
Divisionem; et tertium  
per Argumentationem.

150. tiones ex vocum homonymia, seu ambiguitate, nascuntur, nisi ea sic antea fuerint definita, ut nulla in ipsis ambiguitas relinquatur, nec non Status questionis clare et distincte percipiatur. Quamobrem Tullius, lib. 1. de officiis, Omnis, inquit, qua à ratione suscipitur de aliquâ re institutio, debet à definitio- ne proficisci, ut intelligatur, quid sit id, de quo disputatur. Hoc autem de nominis, non de rei, definitione intellegendum, cum definitio rei in contentionem vocari possit, non autem definitio nominis.

146. Definitio rei quippe est oratio, explicans naturam rei: Sic homo definitur à vulgaribus, animal rationale; Mens substantia cogitans; Corpus substantia extensa et solida seu impenetrabilis; Deus ens perfectissimum.

Hæc definitio rei duplex distinguitur, una essentialis, altera accidentaria, quæ et Descriptio vocatur.

Definitio essentialis est ea, quæ fit per principia rei essentialia; nempe per genus et Differentiam: Species enim physica seu natura completa, genere et Differentiâ continetur, ut alibi explicatum est. [Sic si definitur Triangulus, figura tribus lineis contenta, hæc definitio totam illius naturam comprehendet; nam quod figura dicitur, hoc est illius genus; et quod tribus lineis contenta asseratur, id ad illius dif-

Aa 2

62

ferentiam pertinet.

157.

Differentia accidentaria seu minus accurata, quae et Descriptio nuncupatur, est ea, quae explicat naturam rei, vel per causas illius extrinsecas, hoc est, per causas efficientem et finalem, ut si hominem definias esse animal ad aeternam beatitudinem à Deo creatum: vel per proprietates et accidentia, ut si dicas: homo est animal risibile, bipes, implume, rectum, &c.

Jam ut rectè Definitio rei fiat, 147  
tres praescribuntur regulae: 1<sup>a</sup> ut Definitio sit clarior re definita, alioquin per eam res obscurarentur magis, quam illustrarentur. Undè quae per se sunt notissima et apertissima, ea Definitione non egent. 2<sup>a</sup> est, ut Definitio sit brevis, nihilque in eà redundet.

3<sup>a</sup> Denique est, ut Definitio sit reciproca cum re, quae definitur: hinc trita axiomata illa: Cui convenit Definitio, convenit et definitum: Cui repugnat definitum repugnat et Definitio. Nunc pauca etiam addenda sunt de Divisione.

Divisio est totius in suas partes distributio: quod quidem totum, si sit potentiale seu universale, quod à Latinis dicitur omne, nempe quod partes habet sub se, quo Subjectiva dicuntur, ut Genus habet sub se Species, et Species sub se habent Individua; illius Divisio retinet nomen gene-

148.

152. rium Divisionis. Sed si sit totum ac-  
tuale et singulare, quod scilicet habet  
partes in se, quae dicuntur actuales, et  
ex quibus constat; rursus ea partes vel  
sunt essentiales, ut corpus et mens res-  
pectu hominis, et Divisio totius in illas  
nomen genericum Divisionis retinet;  
vel istae partes sunt integrantes Jun-  
taxat, sive, ut ajunt, entitative,  
nimirum sine quibus tota aliqua  
entitas integra esse non potest. tunc  
Divisio ista dicitur partitio, ut  
partitio corporis humani in caput,  
truncum, et artus.

De Divisione totius potentia-  
lis praesertim agunt logici, illius-  
que quatuor numerant species.  
1<sup>a</sup> est, quae distribuitur genus  
in suas species, v. g. Substantia in  
mentem et corpus. 2<sup>a</sup> quae genus  
per differentias suas dividitur: ut  
cum dicitur, omne animal est vel  
rationis particeps, vel ratione desti-

\* Junta Philoso- tutum\*. 3<sup>a</sup> Cum Subjectum com-  
phos illos, qui ab omne dividitur per varia acciden-  
animantibus bru- tia, quae seorsim suscipere potest:  
tis omnem re- ut cum dicitur, omne corpus vel  
movent rationem. movetur, vel quiescit. 4<sup>a</sup> cum  
accidens per varia subiecta, quibus  
inesse potest, distribuitur: ut cum  
dicitur, omne bonum vel est corpo-  
ris vel animi.

M 149. Tres sunt pariter Divisionis  
Leges. 1<sup>a</sup> ut partes Divisionis ad-

quant totum divisum, nec excedant 153.  
aut deficiant. 2<sup>a</sup> Ut membra di-  
visionis sint opposita, et quantum  
fieri potest immediata, id est, ut  
inter totum et illa nullum sit aliud  
membrum interpositum seu inter-  
medium: ut cum dicitur, Omnis  
numerus vel est par vel impar, nul-  
lum aliud divisionis membrum pra-  
cedere debet. Sed si animal divide-  
retur in hominem, Leonem, equum,  
p. prius dividi posset in hominem  
et beluam: tum belua in Leo-  
nem, equum, p. Ceterum in om-  
nibus habenda est claritatis et dis-  
tinctionis ratio; ac modo imme-  
diata divisione, scilicet in partes  
proximas et immediatas; modo  
mediata, et in partes remotiores,  
prout res postulat, utendum.

3<sup>a</sup> Ut ista membra nec nimis  
multa sint, quia confusionem pare-  
rent, cuius vitandae gratia instituta  
est divisio: nec unum in alio con-  
tineatur: v.g. male divideretur  
corpus humanum in caput, truncum,  
artus, manus, et pedes; nam manus  
et pedes in artibus comprehendun-  
tur. Et haec sunt, quae de Defi-  
nitione et Divisione tractanda pu-  
tavimus; et quamvis in scientiis  
nihil utilis sit, quam bene defi-  
nire et dividere; hic tamen de  
illis plura eloqui necessum non